

Infinito e limite nell'universo lucreziano

1) DRN 1, 72-79

Ergo vivida vis animi pervicit, et extra
processit longe flammantia moenia mundi
atque omne immensum peragravit mente animoque:
unde refert nobis vitor quid possit oriri,
quid nequeat, finita potestas denique cuique
quanam sit ratione atque alte terminus haerens.
Quare religio pedibus subiecta vicissim
opteritur, nos exaequat victoria caelo.

75

Cfr. DRN 6, 25 et finem statuit cuppedinis atque timoris

2) DRN 1, 951-1007; 1021-1028

Sed quoniam docui solidissima materiai
corpora perpetuo volitare invicta per aevom,
nunc age, summai quaedam sit finis eorum
necne sit, evolvamus; item quod inane repertumst
seu locus ac spatium, res in quo quaeque gerantur,
pervideamus utrum finitum funditus omne
conset an immensum pateat vasteque profundum.
Omne quod est igitur nulla regione viarum
finitumst; namque extremum debebat habere.
Extremum porro nullius posse videtur
esse, nisi ultra sit quod finiat, ut videatur
{quo non longius haec sensus natura sequatur}.
Nunc extra summam quoniam nil esse fatendum,
non habet extremum, caret ergo fine modoque.
Nec refert quibus adsistas regionibus eius:
usque adeo, quem quisque locum possedit, in omnis
tantundem partis infinitum omne relinquit.
Praeterea si iam finitum constituatur
omne quod est spatium, si quis procurrat ad oras
ultimus extremas iaciatque volatile telum,
id ualidis utrum contortum viribus ire
quo fuerit missum mavis longeque volare,
an prohibere aliquid censes obstareque posse?
Alterutrum fatearis enim sumasque necessest.
Quorum utrumque tibi effugium praecludit et omne
cogit ut exempta concedas fine patere.
Nam sive est aliquid quod probeat efficiatque

955

960

965

970

975

quominus quo missum est veniat finique locet se, sive foras fertur, non est a fine profectum.	
Hoc pacto sequar atque, oras ubicumque locaris extremas, quadra: quid telo denique fiet?	980
Fiet uti nusquam possit consistere finis effugiumque fugae prolatet copia semper.	
Praeterea spatium summai totius omne undique si inclusum certis consisteret oris finitumque foret, iam copia materiai undique ponderibus solidis confluxet ad imum nec res ulla geri sub caeli tegmine posset nec foret omnino caelum neque lumina solis, quippe ubi materies omnis cumulata iaceret ex infinito iam tempore subsidendo.	985
At nunc nimirum requies data principiorum corporibus nullast, quia nil est funditus imum, quo quasi confluere et sedis ubi ponere possint. Semper in adsiduo motu res quaque geruntur partibus <e> cunctis, infernaque suppeditantur ex infinito cita corpora materiai.	990
Postremo ante oculos res rem finire videtur: aer dissaepit collis atque aera montes, terra mare et contra mare terras terminat omnis; omne quidem vero nil est quod finiat extra.	995
Est igitur natura loci spatiumque <u>profundi</u> , quod <u>neque</u> clara suo percurrere fulmina cursu perpetuo possint aevi labentia tractu <u>nec</u> prorsum facere ut restet minus ire meando: usque adeo passim patet ingens copia rebus finibus exemptis in cunctas undique partis.	1000
[...]	1005

Nam certe neque consilio primordia rerum
ordine se suo quaeque sagaci mente locarunt
nec quos quaeque <darent motus pepigere profecto>,
sed quia multa modis multis mutata per omne
ex infinito vexantur percita plagis,
omne genus motus et coetus experiundo
tandem deveniunt in talis disposituras,
qualibus haec rerum consistit summa creata [...] 1025

2a) Epicuro, Epistola a Erodoto 41: «Oltre a ciò il tutto è infinito, poichè ciò che è finito ha un estremo, e l'estremo si può scorgere rispetto a qualcos'altro, <ma il tutto non si può scorgere da qualcos'altro>, di modo che non avendo estremo non ha nemmeno limite, e ciò che non ha limite è illimitato, non limitato» (trad. Arrighetti);

2b) Cic. *De divinatione* 2, 103: videsne Epicurum... quemadmodum quod in natura rerum omne esse dicimus, id infinitum esse concluserit? "Quod finitum est", inquit, "habet extremum... quod autem habet extremum, id cernitur ex alio extrinsecus... at quod omne est, id non cernitur ex alio extrinsecus... nihil igitur cum habeat extremum, infinitum sit necesse est";

2c) Giordano Bruno, *Opera latine conscripta*, recens. F. Fiorentino, Neapoli-Florentiae, 1879-1891 vol. I, pars I, pp. 227-228: Dic: Epicureo si cui percurrere ad oras/ extremas liceat, volucrem iaciatque sagittam/ margine ab extrema, nonne ad externa feretur?/ Scilicet intorctum validis pro viribus ibit,/ metaque delato ulterius sic transilietur/ unde aliud spacium tibi constituatur oportet,/ quod quoque si claudas, parili argumento aperimus./ Si non pertransit iaculum, quod mittitur, ultra,/ est, quod ibi statuas prohibere obstareque pollens,/dimensum pariter, quicquam, quod et undique claudat.

3) DRN 2, 1023-1029; 1040-1092

- Nunc animum nobis adhibe veram ad rationem.
Nam tibi vehementer nova res molitur ad auris
accedere et nova se species ostendere rerum. 1025
Sed neque tam facilis res ulla est, quin ea primum
difficilis magis ad credendum constet, itemque
nil adeo magnum neque tam mirabile quicquam,
quod non paulatim minuant mirarier omnes.
[...]
- Desine quapropter novitate exterritus ipsa
expuere ex animo rationem, sed magis acri
iudicio perpende, et si tibi vera videntur,
dede manus, aut, si falsum est, accingere contra. 1040
Quaerit enim rationem animus, cum summa loci sit
infinita foris haec extra moenia mundi, 1045
quid sit ibi porro, quo prospicere usque velit mens
atque animi iactus liber quo pervolet ipse.
Principio nobis in cunctas undique partis
et latere ex utroque <supra> supterreque per omne
nulla est finis; uti docui, res ipsaque per se
vociferatur, et elucet natura profundi.
Nullo iam pacto veri simile esse putandumst,
undique cum vorsum spatium vacet infinitum
seminaque in numero summaque profunda
multimodis volitent aeterno percita motu, 1055
hunc unum terrarum orbem caelumque creatum,
nil agere illa foris tot corpora materiai;
cum praesertim hic sit natura factus et ipsa
sponte sua forte offensando semina rerum
multimodis temere in cassum frustraque coacta
tandem coluerint ea quae coniecta repente
magnarum rerum fierent exordia semper,
terrai maris et caeli generisque animantium.
Quare etiam atque etiam talis fateare necesse est
esse alios alibi congressus materiai, 1065
qualis hic est, avido complexu quem tenet aether.
Praeterea cum materies est multa parata,
cum locus est praesto nec res nec causa moratur
ulla, geri debent ni mirum et confieri res.
Nunc et seminibus si tanta est copia quantam 1070
enumerare aetas animantium non queat omnis,

visque eadem <et> natura manet, quae semina rerum
 conicere in loca quaeque queat simili ratione
 atque huc sunt coniecta, necesse est confiteare
esse alios aliis terrarum in partibus orbis 1075
et varias hominum gentis et saecla ferarum.
 Huc accedit ut in summa res nulla sit una,
 unica quae dignatur et unica solaque crescat,
 quin aliquoius siet saecli permultaque eodem
 sint genere. In primis animalibus inice mentem: 1080
 invenies sic montivagum genus esse ferarum,
 sic hominum geminam prolem, sic denique mutas
 squamigerum pecudes et corpora cuncta volantum.
Quapropter caelum simili ratione fatendumst
terramque et solem, lunam mare cetera quae sunt, 1085
non esse unica, sed numero magis innumerali;
quandoquidem vitae depactus terminus alte
tam manet haec et tam nativo corpore constant
quam genus omne, quod his generatim rebus abundat.
 Quae bene cognita si teneas, natura videtur 1090
libera continuo, dominis privata superbis,
ipsa sua per se sponte omnia dis agere expers.

4) DRN 6, 647-653

Hisce tibi in rebus latest alteque videndum
 et longe cunctas in partis dispiciendum,
 ut reminiscaris summam rerum esse profundam 650
 et videoas caelum summai totius unum
 quam sit parvula pars et quam multesima constet,
 nec tota pars, homo terrai quota totius unus.

5) DRN 2, 1112-1117; 1139-1174

Nam sua cuique, locis ex omnibus, omnia plagis
 corpora distribuuntur et ad sua saecla recedunt,
 umor ad umorem, terreno corpore terra
 crescit et ignem ignes procudunt aetheraque <aether>, 1115
donique ad extremum crescendi perfica finem
omnia perduxit rerum natura creatrix;
 [...]
 Iure igitur pereunt, cum rarefacta fluendo
 sunt et cum externis succumbunt omnia plagis, 1140
 quandoquidem grandi cibus aevo denique defit,
 nec tuditantia rem cessant extrinsecus ullam
 corpora conficere et plagis infesta domare.
Sic igitur magni quoque circum moenia mundi
expugnata dabunt labem putrisque ruinas. 1145
 Omnia debet enim cibus integrare novando
 et fulcire cibus, <cibus> omnia sustentare,
 nequiquam, quoniam nec venae perpetiuntur

quod satis est, neque quantum opus est natura ministrat.

Iamque adeo fracta est aetas effetaque tellus 1150
 vix animalia parva creat, quae cuncta creavit
 saecla deditque ferarum ingentia corpora partu.

Haud, ut opinor, enim mortalia saecla superne
aurea de caelo demisit funis in arva,
 nec mare nec fluctus plangentes saxa crearunt, 1155
 sed genuit tellus eadem quae nunc alit ex se.
 Praeterea nitidas fruges vinetaque laeta
 sponte sua primum mortalibus ipsa creavit,
 ipsa dedit dulcis fetus et pabula laeta;
 quae nunc vix nostro grandescunt aucta labore, 1160
 conterimusque boves et viris agricolarum,
 conficimus ferrum vix arvis suppeditati:
 usque adeo parcunt fetus augentque laborem.
 Iamque caput quassans grandis suspirat arator
 crebrius, incassum magnos cecidisse labores, 1165
 et cum tempora temporibus praesentia confert
 praeteritis, laudat fortunas saepe parentis.
 Tristis item vetulae vitis sator atque †fatigat†
 temporis incusat momen saeclumque fatigat,
 et crepat, anticum genus ut pietate repletum 1170
 per facile angustis tolerarit finibus aevom,
 cum minor esset agri multo modus ante viritim;
 nec tenet omnia paulatim tabescere et ire
 ad scopulum spatio aetatis defessa vetusto. (scopulum Ω: capulum *Is. Vossius*)

5a) DRN 2, 569-580

Nec superare queunt motus itaque exitiales
 perpetuo neque in aeternum sepelire salutem, 570
 nec porro rerum genitales auctificique
 motus perpetuo possunt servare creata.
 Sic aequo geritur certamine principiorum
 ex infinito contractum tempore bellum:
 nunc hic nunc illic superant vitalia rerum
 et superantur item. Miscetur funere vagor 575
 quem pueri tollunt visentes luminis oras;
 nec nox ulla diem neque noctem aurora secutast,
 quae non audierit mixtos vagitibus aegris
 ploratus, mortis comites et funeris atri. 580

6) DRN 1, 1102-1113

[...] ne volucri ritu flammarum moenia mundi
 diffugiant subito magnum per inane soluta,
 et ne cetera consimili ratione sequantur,
 neve ruant caeli tonitralia templa superne 1105
 terraque se pedibus raptim subducat et omnis
 inter permixtas rerum caelique ruinas

corpora solventes abeat per inane profundum,
temporis ut puncto nil extet reliquiarum
desertum praeter spatum et primordia caeca.
Nam quacumque prius de parti corpora desse
constitues, haec rebus erit pars ianua leti,
hac se turba foras dabit omnis materiai.

1110

7] DRN 5, 91-99; 104-109

Quod superest, ne te in promissis plura moremur,
principio maria ac terras caelumque tuere;
quorum naturam triplicem, tria corpora, Memmi,
tris species tam dissimilis, tria talia texta,
una dies dabit exitio, multosque per annos
sustentata ruet moles et machina mundi.

95

Nec me animi fallit quam res nova miraque menti
accidat exitium caeli terraeque futurum,
et quam difficile id mihi sit pervincere dictis;
[...]

Sed tamen effabor. Dictis dabit ipsa fidem res
forsitan et graviter terrarum motibus ortis
omnia conquassari in parvo tempore cernes.
Quod procul a nobis flectat fortuna gubernans,
et ratio potius quam res persuadeat ipsa
succidere horrisono posse omnia victa fragore.

105

8a] DRN 5, 235-246

Principio quoniam terrai corpus et umor
aurarumque leves animae calidique vapores,
e quibus haec rerum consistere summa videtur,
omnia nativo ac mortali corpore constant,
debet eodem omnis mundi natura putari.

235

Quippe etenim quorum partis et membra videmus
corpore nativo mortalibus esse figuris,
haec eadem ferme mortalia cernimus esse
et nativa simul. Quapropter maxima mundi
cum videam membra ac partis consumpta regnii,
scire licet caeli quoque item terraeque fuisse
principiale aliquod tempus clademque futuram.

240

245

b] DRN 5, 338-350

Quod si forte fuisse ante hac eadem omnia credis,
sed periisse hominum torrenti saecla vapore,
aut cecidisse urbis magno vexamine mundi,
aut ex imbris adsiduis exisse rapaces
per terras amnes atque oppida cooperuisse,
tanto quique magis victus fateare necesset
exitium quoque terrarum caelique futurum:
nam cum res tantis morbis tantisque periclis

340

345

temptarentur, ibi si tristior incubuisset
causa, darent late cladem magnasque ruinas.
Nec ratione alia mortales esse videmur,
inter nos nisi quod morbis aegrescimus isdem
atque illi quos a vita natura removit. 350

c) DRN 5, 373-379

Haut igitur leti praeclusa est ianua caelo
nec soli terraeque neque altis aequoris undis,
sed patet immani et vasto respectat hiatu. 375
Quare etiam nativa necessumst confiteare
haec eadem; neque enim, mortali corpore quae sunt,
ex infinito iam tempore adhuc potuissent
inmensi validas aevi contemnere vires.

9a) DRN 6, 565-567

Et metuunt magni naturam credere mundi
exitiale aliquod tempus clademque manere,
cum videant tantam terrarum incumbere molem!

b) DRN 6, 596-607

Ancipiit trepidant igitur terrore per urbis:
tecta superne timent, metuunt inferne cavernas
terrai ne dissoluat natura repente,
neu distracta suum late dispendat hiatum
atque suis confusa velit complere ruinis. 600
Proinde licet quamvis caelum terramque reantur
incorrupta fore aeternae mandata saluti:
et tamen interdum praesens vis ipsa pericli
subdit et hunc stimulum quadam de parte timoris,
ne pedibus raptim tellus subducta feratur 605
in barathrum, rerumque sequatur prodita summa
funditus, et fiat mundi confusa ruina.

10) DRN 3, 964-977

cedit enim rerum novitate extrusa vetustas
semper, et ex aliis aliud reparare necesest. 965
Nec quisquam in barathrum nec Tartara deditur atra:
materies opus est, ut crescant postera saecla;
quae tamen omnia te vita perfuncta sequentur;
nec minus ergo antehac quam tu cecidere, cadentque.
Sic alid ex alio numquam desistet oriri, 970
vitaque mancipio nulli datur, omnibus usu.
Respice item quam nil ad nos anteacta vetustas
temporis aeterni fuerit, quam nascimur ante.
Hoc igitur speculum nobis natura futuri
temporis exponit post mortem denique nostram. 975

Numquid ibi horribile apparet, num triste videtur
quicquam, non omni somno securius exstat?

Riferimenti bibliografici

- M. Galzerano, *La fine del mondo nel De rerum natura di Lucrezio*, Berlin-Boston 2019
C. Salemme, *Infinito lucreziano. De rerum natura 1, 951-1117*, Napoli, 2011
A. Schiesaro, *Lucretius' apocalyptic imagination*, "Materiali e Discussioni" 84, 2020, pp. 27-93